

transeamus. Præcipiet (*e*) aliquis, ut prudentiam magni astime-  
mus, ut fortitudinem complectamur, temperantiam amemus, ju-  
stitiam, si fieri potest, proprius etiam quam ceteras, nobis applice-  
mus. Sed nihil agetur, si ignoramus, quid sit virtus, una sit an plu-  
res, separata an annexa, an qui unam babet, & ceteras habeat, quo-  
modo inter se differant. Hoc superius reprehendere videbatur  
*Epicetus*: sed videbatur. Coniunctionem enim urgebat, separationem vero seu,  
ut ita loquar, prælaturam & τὸ τρωγωτεῖον exculcabat. Jam à diversis hoc declarat  
noster *Lucius*, & deducit, longè aliam Philosophia & hujus esse rationem, quam  
ceterarum artium, quibus sufficiat callere τρόπον & formam, non semper nec  
necessariò materiam sive alia remotiora. Non est necesse fabro de  
fabricâ querere, quod ejus initium, quis usus sit, non magis quam  
pantomimo de arte saltandi. Omnes istae artes se sciunt, nihil deest,  
non enim ad totam pertinent vitam. (Sed) Virtus & aliorum  
scientia est & sui, discendum de ipsa est, ut ipsa voluntas discatur.  
Actio recta non erit, nisi recta fuerit voluntas, ab hac enim est a-  
ctio. Rursus, voluntas non erit recta, nisi habitus animi rectus fues-  
sit, ab hoc enim est voluntas. Habitus porrò animi (ð elegantissi-  
mam & verissimam climacā, ð auream!) non erit in optimo, nisi  
totius vite leges percepit, & quid de quoq; judicandum sit, exage-  
rit, nisi res ad verum redegerit. Quod si urgeas, posse aliquem ta-  
men virtuosum fieri ex admonitione & imitatione, perinde ut hodie nonnul-  
li præpostero quodam & vitiosissimo more neglectis Grammaticis regulis La-  
tinitatem pueri acquiri posse vanâ quâdam credulitate sibi persuadent & aliis  
persuadere volunt, respondebit *Seneca*, nihil subesse solidi, nihil certi, nihil cō-  
stants. Audiamus ipsum. Non contingit tranquillitas, nisi immu-  
tabile certumq; judicium adeptis: ceteri decidunt subinde, & repo-

nun-

(*e*) unde Genus istud Paraceticum vocatum Præceptivum,